

LAICORUM NOTIO

Nomine laicorum intelliguntur (1) christifideles qui non sunt, sacro ordine recepto, ad divina ministeria (2) deputati, nec in instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumunt, christifideles scilicet qui (3), debita cum Hierarchia relatione servata (4), suo modo totius Ecclesiae missionem (5) ex vocatione divina (6) exercent, praesertim in rebus temporalibus gerendis Christi testimonium mundo reddentes (7).

---

(1) Locutio "in canonibus qui sequuntur" non videtur necessaria, quia: a) in toto Codice uniformis terminologia adhiberi debet ad vitandas confusiones (uti hodie quandoque accidit); b) agitur de fidelibus qui sunt in statu laicali, de fidelibus scilicet quorum condicio iuridica personalis non est mutata ob assumptionem in statum clericalem (sacramento ordinis) neque in statum religiosum (professione publica consiliorum evangelicorum).

(2) Dicitur "ad divina ministeria", loco "ad sacrum ministerium", quia: a) ita vitatur repetitio "sacro ordine" - "sacrum ministerium"; b) est expressio can. 108 ad clericos definiendos.

(3) Expungitur expressio "ad Populum Dei cum pertineant", quia haec idea iam implicite continetur sub verbo "christifideles". Praeterea, ob oculos habendum videtur hos canones "De laicis" venire post tractationem iurium et officiorum omnium christifidelium, ubi iam clare exponetur cunctos christifideles vocari ad propriam partem exercendam in unica missione Ecclesiae.

(4) Adhibetur haec expressio sat ampla, ut, una ex parte, excludatur quaelibet possibilitas anarchiae, alia vero ex parte formula complecti possit diversas possibilitates apostolatus laicorum, secundum varias eiusdem apostolatus formas et obiecta (cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 19, 23, 24).

(5) Haec dicuntur ut in definitione non solum contineantur ea quae ex vocatione propria ad laicos pertinent (de quibus agitur in ultima parte definitionis), sed modo generali illa etiam inquantur quae ad laicos pertinent eo quod sunt fideles (titulo missionis communis christianae, aut ex mandato vel missione speciali hierarchiae, etc.).

(6) Dicitur "ex vocatione divina", ut clare appareat laicos non a Hierarchia, sed ab ipso Christo, per baptismum et confirmationem, ad hanc propriam missionem explendam vocari (cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, n. 3).

(7) Cfr. Cont. Lumen gentium, n. 31; Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 2 et 7; Const. Gaudium et spes, n. 43.

Romae, 28 novembris 1966

PATRIMONIO UC